





1763, 6.  
13

ORDINIS MEDICI DECANVS  
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA  
**D. RUDOLPH. AVGVSTINVS**  
**VOGEL**  
SOLENNIA IN AVGVRALIA  
DIGNISSIMI MEDICINAE CANDIDATI  
**BEYFVS ANSELMI SCHLOSS**  
GENTE IVDAEI FRANCOFVRTENSIS  
DISSERTATIONE PUBLICA  
D. XXI IVL. A. R. S. MDCCCLXIII. HABENDA  
INDICIT  
*DVBIAQVE SVA DE VSV CIRCVMCISIONIS*  
*MEDICO PRAELOQVITVR*

---

GOTTINGAE  
EX OFFICINA SCHVLTZIANA, curante F. A. ROSENBVSCHE







**A**ltius est multorum eruditorum virorum animis infixa opinio, circumcisionem, sacrum illum ac antiquissimum ritum, qui Abraham a deo praeceptus, posteaque nouam quādām sanctiōnē a Mōse adeptus, principale religionis Iudaicæ sacramentum habitus fuit, vsum quendam simul naturalem, eumque duplēcēm, corporib⁹ praeſtare, alterum, vt vulnusculo illo morbus, naturalib⁹ partibus praeptiatorum in Oriente imprimit infelix, quem Carbunculum vocant, anertatur; alterom, eumque multo adhuc praeſtabiliorem, vt ad sobolem procreandam magis idonei ac expeditiores inde reddantur homines. Vt adeo & morbi antidotis, & foecunditatis medium circumcisione habeatur. Atque hanc imprimitis opinionem Philo sustinuit: qui cum obſeruasset, ritum illum apud alias etiam gentes (Aethiopes, Arabes, Aegyptios, Colchos, Troglodytas, Muhamedanos) antiquitus vſitatum, pernitas esse causas contendit, quae suadent, ab hoc priscorum instituto hand difcedere: quarum una χαλεπῆς κοὶ δυστάτης πόνος ἀπαλλαγὴ, ἢ ἀνθεκτικὰ παλέστιν, vt caueantur morbus difficultis, quem carbunculum vocant; altera, quam summe necessariam praedicat, πέρος πολυγονῶν καταπιεύν, foecunditatis & numerosae ſib⁹līs cauſa. Obſeruatū enim ſcribit, τὰ τεμνόμενα τὸν θηνὸν πολυγονάτα τα κοὶ πολυανθρωπίτα τα εἶναι, circumcisar gentes summe effe foecundas atque populoſifmas; cum ita ſcilicet femen recte integrum viaculetur, nec per finis praeputii diſſloat. \*)

Viram.

\*) L. de Circumcis. p. 310. seq.





Vtramque equidem opinionem haec tenus neque Medici, neque Theologi iusta rationis ac experientiae trutina penstarunt. Siquid illi, quorum cura tamen in primis fuisse, eam examinandi, eamdem proorsus, quod sciam, praeterierunt: hi vero partim sine ullo examine veram simpliciter habent, partim vero neque probant, neque reficiunt, sed examiniandam aliorum iudicio relinquent. \*) Quemadmodum vero Medicorum hoc maxime officium est, ut, quid humanis corporibus sive morbosum, sive salutare existat, inquirant: ita multum abest, ut metiam, ne examine harum opiniomum, quod ad Medicos proprie pertinet, in praesenti instituendo aliquem Theologorum offendam, ut ipsi gratiam eius facere existimem.

Quod igitur primum ad morbosum illud, quo infestari incircuncis partes, Orientalium in primis gentium, p[ro]ae circumcis[ion]is credunt, vitium, carbunculum puta, spectat; non solum fateor dubitandum mihi esse proorsus super historica huius rei veritate; sed vereor adeo, ut, quod carbunculum vocavit Philo non Medicus, hoc nomine recte proprie[te] fuerit ab eodem insignitum. Memorabile enim omnino est, neque Caelium Aurelianum, Siccensem Afrum, neque Avicennam, Arabem Medicum, in monumentis suis ullam huius viti mentionem iniicere. Haud vero existarem, illos eius proorsus fuisse oblituros, si incircuncis partes frequentius, quam circumcisas prehenderet. Inde vero efficitur, antiquam saltem, & plebeiam hanc esse traditionem, utpote nulla Medicorum orientalium experientia confirmatam. Non enim omittunt facile quidquam Medici, quod suis nationibus vel salubre sit, vel morbos inferat. Atque etiam si forte hoc vitium cum climati, tum aestuosis nimium ac voluptuosis corporibus origine sua debaret; certe quum Afri & Arabes de prerogativa cum Aegyptiis ac Iudeis certare possint, ipsorum Medicis non fuisserit non id malum animaduersuri. At enim vero cum ne unquam qui-

\*) v. c. Io. Spencerus de legib. Hebraeor. ritual. L. I. c. 4. p. 67. & Iac. Sawrin. in Betrachtungen über die wichtigsten Gegebenheiten des alten und neuen Testaments. P. I. p. 369.

quidem tangi isto hanc partem verendam scribant; profecto summa coniectura nascitur, inauditum prorsus malum apud suos hoc fuisse. Eoque minus *Philoni* erit hac in re, tanquam plane inexperito viro, credendum, quod nec iustum comparationem huius mali apud incircumcisos, atque infrequentiam apud circumcisos insituere potuit. Neque adeo unum Virum reperio, qui orientales gentes cum circuncislas, tum praeputias salutans in suo itinere, hoc vitium anniaduerterit.

Sed de Carbunculo nunc speciatim videamus, an recte moribus praeputias infestus hoc nomine a *Philoni* salutetur. Est autem Carbunculus, ex optima prisorum Medicorum obseruatione, vclus crustaceum, plerunque a tenui pustula una, aut pluribus, ambustis simili, incipiens: quibus perruptis crustaceum vclus provenit, quale ferramenta candentia excitant, modo crusta ipsa color em cinereum, modo nigrum praferente, quae inferiori carni continua adhaerens & quodammodo affixa, eam depalcit: reliqua aorem cutis circumposita feruidam inflammationem, phlegmam quam Graeci appellant, refert, & colore nigrescit, splendetque bituminis & picis modo. Plerisque inflammatio in suppurationem vertitur, multisque febres simul accedunt. Iam vero carbunculi ex causis populatim grassantibus excitantur, & in febre acuta malignaque oriuntur, ac in pluribus partibus corporis simul erumpunt. \*) Quidsi vero has communes Carbunculorum proprietates rite contemplatur, appareat, eos putridae humorum corruptioni debet; quemadmodum nec alias, nisi summe malignas ac pestilentes febres comitantur. Perscrutantibus vero eiusmodi febrium historias, quies circumcisorum corpora a que, ac praeputiorum per totum orbem exposita esse nemo Medicorum ignorat, ne unicum quidem reperire licet, ubi integrum praeputium obsessum talibus fuisse. Artus enim isti duntaxat occupant, ac cutem truncari. Quapropter si de Carbunculis *Philo* loquitur, qui praepu-

tia

\*) Hippocrat. Epidem. L. II. Sect. I. p. 977. Aeginet. L. IV. c. 25.  
P. 474.



tia incircumcisorum frequenter prehendant, aut simplices *φλυται-*  
*ρες* esse oportebit, id vero est, pustulas in summa corporis cute  
 ubique ercentes, tenuique sanie ac erodente repletas; aut gonor-  
 thocain, quam hodie spuriam appellant; aut denique ex impura lue  
 contractam vesiculam crystallinam, phlyctenarum pariter genus.  
 Qualecumque autem horum vitiiorum intelligendum sit, quod de-  
 terminare mihi equidem non licet, neque adeo determinari neces-  
 se est; experientia docet, omni genti hue praeputiae, sine cir-  
 cumcisae singula esse communia. Et phlyctenae quidem in pra-  
 putio puerorum, eiusque limbo ex inflammatione intumescente,  
 enascuntur. Maximaque carbunculorum cum phlyctenis est affi-  
 nitatis, ut *Hippocrates* Cratone obseruatorum in maligna febre *φλυ-*  
*ταιρει* appelle. \*) Gonorrhoea autem spuria non raro in pue-  
 ris ac iuuenibus, vt phlyctenae, citra luis sordidae consortium  
 obvia, non ab vrethra, vt in vera ac virulenta specie, humorem  
 dimittit, sed a corona balani, cuius glandulæ odoriferæ sponte  
 inflammatæ ac lacerstæ liquorem olidum, subviscidum, purulen-  
 tum, praeputia indusis adglutinante, plorant, cui subinde non-  
 nullæ puris guttulae ab erofo balano vel praeputio commiscentur;  
 quod ipsum simul tumet, rubet, calet, ac vehementer prurit. De  
 ipsa lue venerea, eiusque symptomatibus nemo ignorat, non im-  
 munis esse ab eadem circumcisatum gentium partes naturales; ad-  
 coque nec vesiculos cristallinas absesse, si cetera respondeant.

Sed satis de Carbunculo. Proximum est, vt, quod de alte-  
 ro, coque praecellentiore, vt putant, circumcisionis usu naturali  
 sobrie statuendum sit, dispiciamus. Quem quidem non minus  
 dubium esse, ac priorem, facile mecum, spero, lectores intelli-  
 gent. Aint autem, qui hunc defendant, circumcisio praeputio  
 homines ad generandam sobolem reddi expeditiores, quod semen  
 recte integrum ejaculetur, nec per praeputii sinus diffloat: huicque  
 opinioni hanc obseruationem praetexunt, summe foecundas esse at-  
 que populosissimas gentes circumcisas.

Quod

\*) I. c.



Quod equidem circumcisio praeputio, sive hoc Iudeorum more fiat, sive aliarum gentium, recte semen ac integrum in sinu vulvae iniciatur, negari prorsus haud potest: vicissim vero dari nobis & hoc persicile existimamus, praeputio haud circumcisio, docente quotidiano rerum vsu, integrum pariter fieri seminis ejaculationem. Itam enim nullo modo impedit praeputium integrum, quod tenso cole ac tumido, dum viri concubunt, reuelatur, saltetque ad tertiam sue longitudinis partem glans denudatur. Hisque sub circumstantiis fieri etiam prorsus non potest, vt spermatis quidquam per sinus sive plicas praeputii dispersetur, vt pote quae, distento illo, simul omnes explicantur. Sed singe tamen, nonnihil in praeputiatis dispergi: neque hoc sane concubitum infocendum vnuquam reddit, cum tantilla pars seminis ejaculati ad conceptionem sufficiat, nec vnuquam tota eius quantitas ad eandem requiratur; quandoquidem & plurima eius portio ex vulva rursus effluit in coitu foecundo. Quum ergo concubentibus praeputiatis ab integro praeputio nullum vnuquam obseculum obiciatur, hique aequa expedite cum vxoribus rem suam, ac circumcisae gentes, habere possint: liquidissime appareat, circumcisio praeputio nullo modo expeditiores ad procreandam sobolem viros reddi. Eos saltet ad concubendum minus aptos reputamus, quibus praeputium ante glandem connato quodam, alioue morbofo vitio, ita constringitur, vt nudari glans ob angustiam non possit, hincque non solum ipse coles in erectione impediatur, & sub ista statim incuruetur, verum etiam ipsa seminis aequa ac virina emissio retineatur. Cuiusmodi viri tamdu ad matrimonium inepti omnino existunt, donec legitima ratione curentur. Sed eiusmodi phimosis rarissime occurrit. \*) N. que vero semper haec impedita denudatio glandis ab angusto praeputio concubitum impedit, nisi erigi penem prorsus non sinat. Non ego, & forte plures norunt Medici nostrae urbis, honestum ciuem, cui praeputium tantopere ante glandem constrictum est, vt vix caput aciculae ad-

mit-

\*) Casum vides in Paul. Ammanni Medicina critica, n. XV. p. 140.



mittat; at hunc virum nouimus plurium liberorum esse patrem; ipseque conf. sus est, concubere se sine magna posse difficultate, maximum vero incommodum ipsi in mittendo lotio oriri, quod intra praeputii capacitatem colligatur. Porro vero & praeputium nimis elongatum impeditre concubitum potest. Diciturque hoc vitium totis gentibus esse commune, inter quas Arabes *Thevenotus* nominat, quorum infantes adeo, nisi praelongum praeputium circumcidatur, restagnante vrina pollui inter sinus eius, affimatis. Veritablement, inquit, les Arabes ont le prepuc si long, que s'ils ne le coupeoint, il les incommoderoit fort, & on voit chez eux des petits enfans, à qui il pend fort long, outre que s'ils ne coupeoint leur prepuc, en vriniant ils en retiendroient toujours quelque goutte que les pollueroit. \*) Atque si haec ita constat, prout auctor testatur, iustum omnino rationem habent Arabes, praeputia suorum infarum praecidendi. Sed vereor paulisper, ne fabulam sibi narrari *Thevenotus* passus sit; neque prius vereri hoc desino, quam celebris Societas Danica, clementissimi Regis sui munificentia Arabiani visitans, rem olim confirmaverit, siquidem ad eam attentos esse sodales quosdam ill. noster *Michaelis* jussit. \*\*)

Quod ad alteram obseruationem pertinet, in qua vis totius argumentum continetur, quod scilicet foecunditate superent circumcisae gentes ceteras quascunque praeputiatis, non magis eam, ac praecedentem, extra omnem aleam dubitationis positam censemus; neque sine ratione veremur, ne, quantumvis in se vera ac certa sit, fallacia in ratiocinando committatur. Nemo enim est, qui non intellegat, maritos nullo modo ex nudata penitus glande reddi posse foecundiores. Neque enim haec denudatio potentes vnuquam viros facit, neque ad concubitum magis extinxat; sed junat tantum istum sine difficultate ac sine dolore, cuius tamen nullus pro�sus sensus est.

\*) Itinerar. Orient. P. I. c. 32.

\*\*) vid. ej. Fragen an eine Gesellschaft gelehrter Männer, die auf Befehl Ihrer Majestät des Königs von Dānnemarck nach Aras bien reisen. N. LXXXI. p. 152.

est, etiam si non ex toto glans denudetur, celebrare. Contra tota  
vis maritalis cum a labore totius corporis, tum a liberali seminis  
boni generatione dependet. Quantumuis ergo circumcisas gentes  
vere putes ad concubendum alacriores, haud tamen circumcisio-  
ni alacritatem suam debebunt; etiam si Muhamedani, & Arabes, &  
Aethiopes, & Iudei, & quot non alii firmiter de ea persuasi sint.  
Et num quis quoquo Iudeos, inter omnes pene Europae nationes  
praeputias hodie dispersos, aptiores ad generandum deprehendit?  
Sane si circumcisio ipsis hanc praerogatiuam impertiret, a tam di-  
uerso, quod hodie incolunt, climate ea ipsis haudquam mi-  
nueretur. Et numquid Iudei praeputiati, qui ante Abrahami aetatem  
vixerunt, cui Deus circumcisionem imperauit, ad generandam pro-  
lem fuerunt ineptiores? Certeque, vt paucis omnia complectar, si  
de foecunditate hominum maiore vel minore sermo est, frustra  
plerumque causam eius in merito quaeres, cum tota potius in mu-  
liere haereat. Facile enim iste semen per annum foecundum semen  
inspergere vulnus potest; at foemina non potest facile per inumeras  
causas in tot vteri, tubarum, ovariorum, ac totius corporis vitiis, con-  
cipere. Nunc singe quidem, gentes dari aliis foecundiores: nisi erro-  
rem velis in ratiocinando committere, vnicce hanc praerogatiuam,  
periude ac maiorem vel minorem sterilitatem, in habitu corporum  
foeminiorum quaeres.

Sed vndenam, quaeſo, hoc praeiudicium quasi vniuersale de  
vſu medico circumcisionis mentibus hominum impressum eſt?  
Quodsi omnia probe circunſpicio, d'beri illud vnicce Medicis au-  
toribus quarumuis nationum mihi videtur, vt millena alia prae-  
iudicia popularia; quorum aliqua partu quideam antiquata, alia  
mentibus totarum nationum profunde adhuc infixa sunt, vt vmbi-  
lici infantum deligatio, eorundem fasciatio, inque canis  
agitatio, ciborum delectus, mensura somni, ventris puer-  
perarum ope fasciae conſtrictio, purgantium in diebus ca-  
nicularibus noxa, acidularum vtendi modus, & multa alia,  
in quorum obſeruatione totae gentes cum suis Medicis legis-



Iatoribus adhuc coeceptione. Aequo enim ut hae res in praefidium corporis proculdubio ab ipsis fuerint exegitatae; ita facile adducatur ut credam, circumcisionis commendationem ex eodem fonte olim fuisse deductam. Et forte ipsi Medici gentiles in totalem corporum suorum liberorum primi eandem instituendam permisérunt: quemadmodum hodie fere nonius, ab ipsis utilitatem variolarum artifcialium in suis liberis nonnunquam probari consueuisse.

Enimvero, dum haec scribo, haud loquor de Iudeorum circumcisione, ab ipso Deo iisdem praecepta, sed de illa faltem, quae inter alias gentes ab antiquissimis inde temporibus consuevit celebrari, & quam inter has versantes etiam Christiani, sine scientia originis, aut cultus aliquius sacri cogitatione, partim concelebrant; ut hi, qui Aethiopiam incolunt. \*) Illius enim finein a Deo intentum sacrae litterae nos plene docent. Sed forte etiam foecunditatis argumentum ex Genes. XXII, 17. 18. depromi posset, vbi Deus Abrahamo, ex pacto cum eo inito, cuius circuncisio signum futurum esset, sancte promisit, se semen eius tanquam coeli stellas velle multiplicare, & in eo omnibus gentibus benedicere; nisi certo constaret, foecunditatis causas magis a mulierium corporum habitu, quam virorum, dependere, circumcisionem vero haudquam in illum influere, neque adeo in viris strucuram partium generationis dicatarum inde ita immutari, vt vel maius rotetur illis concilietur, vel seminis augeatur copia. Si quis ergo vesus secundarius circumcisionis Iudaicae statuendus sit, politicus ille erit: qui vero, cum ad me non pertineat, in memorari aut expendi hoc loco haud meretur, sed interpretibus sacrarum pandectarum ad iudicandum relinquitur.

Temperare ceterum mihi non possum, quin in aliquot errores doctissimi Spenceri, cuius magna apud Theologos auctoritas est, animaduertam; vt pote qui terriculosa non solum circumcisionem Iudeorum ob mortis periculum iudicauit; sed eudem abscondendam vid. Job. Ludolfi Histor. Aethiopic. L. III. c. 1.

dam etiam pro superflua habuit.<sup>18)</sup> At sane vero nulla hic haemorrhagia periculosa, nisi forte ex incuria aut ignorantia circumcidentis, accidit; ut adeo sine vinclis, adsperso saltu leni pulsusculo styptico, breui compescatur. Istaque adeo experientia quotidiana huic opinioni Speneri valide repugnat. Is ipse vero cum cunctam abscedendam pro superflua habuerit, miror omnino, cur circumcidere semet ipsum ideo non passus sit! Neque temere affirmare auctum, sapientissimum Deum superflui quiddam in nostris corporibus creasle. Siquid autem in illis vero superfluum existat, cuiusmodi multa omnino in foetuum corporibus ex veteri dimissorum reperiuntur; haec omnia, cessante vita, sponte naturae protinus immutantur, & vel per se abscedunt, vel alio quouis modo delentur aut coalescent.

Superest, ut significem, quomodo apud Iudeos & alias gentes circuncisio administratur. Idque eo libenter facio, quod sci-  
am, esse quosdam, qui male eam intelligent, imo cum ipsa castratione confundant. Iudei autem cuncti, quae super glandem est, adducunt, superioremque eius laminam attollunt, ac forcipe aliquo latiore ac inciso comprehendunt, quoque facto ope scalpelli super ipso abscedunt, posteaque inferiorem eius laminam vnguis dilacerant ac diducunt, & glans plane nudetur. Ceterae vero gentes omnem entim, qua glans contingit, ante eam adducunt, & forcise, ut in phimosis chirurgia, praecdunt.

Venio ad dignissimum Candidatum, Virum Praenobilissimum,

## BEYFVS ANSFLMVVM SCHLOSS GENTE IVDAEVVM

qui natales suos, omne inque vitae in literis exactae rationem, his  
Ipsius complexus est:

**N**atus sum, inquit, Francofurti ad Moenum, anno MDCCXL, patre  
ANSELMO LAZARO SCHLOSS, matre MERLA; quos  
ambobus laus Deo sit, hodie adhuc viros veneror, et ipsius adhuc diu!

<sup>18)</sup> l. e. p. 64.



ea dilectionis horum parentum, et fundamētis ad religionem nostram pertinenitis imbuerer, nullam praetermisit occasionem. Inde ab anno aetatis meae decimo quarto illustre Gymnasium, quod Idsteinae Natiōniorum flores, euangelicum per tres annos frequentauit. Egregiis ibi praefidiis ad aliores doctrinas instructus, anno MDCCCLIX poflatorem aedundae celebri Georgiae Augustae Academiae mibi dederunt parentes, ubi ab ill. Boehmero, tunc temporis Academiae Prorectore, in numerum ciuitum Academicorum receptus sum. Praeceptores hic natus sum, quos pie semper colam, illustrem ordinis medici Primarium Richterum in Pathologia, Encyclopediam, Diaetericam, Praxi medica, & Causalim; Exercitariis inibus eius etiam, quas instituit, disputationis interfui. Excellentissimum b. Roedererum in Physiologia, Arte obstericia, Chirurgia, Osteologia, & demonstrationibus anatomie securus sum, quo dux cadanera ipsa etiam dissecui. Excellentissimum Vogelium in Pathologia, Chemia, Materia medica, Pharmacia, Semiorbita, ac ipsa Praxi medica, & Cel. Buttmatum in Botanicis audiui. Celeb. Hollmanni praelectiones physicas frequentavi. Denique Cl. de Colom du Clos in lingua Gallica, & Cl. Buttmathy in Mathematicis dices habui.

Ac tantis ad eruditionem praefidiis usus examini Collegii nostri se subiecit, datisque eruditio[n]is iuacis documentis, & praeclaris liberata exspectatione, suffragia omnium de conferendis Doctoris Medici insignibus ac priuilegiis ibi conciliauit. Reliquum est, ut in celebritate Academiacae exemplum virium pari virtute prodat. Quod quidem geretur due Ill Richtero, Ordinis nostri Seniore Venerabili, quo moderate dissertationem inauguralem de valerudine hominis nudi & coopersti defendet, praemissa lectio cursoria de noxiis effectibus frigoris in corpore humano. Hanc panegyrici vi praesentia sua splendidissima honorificissimaque ornare velint Magnificus Academias Prorector, Illusterrimi S. R. I. Comites, Patres Academiae conscripti, Senatorii urbis Proceres, Doctores omnium ordinum, Ciues generofissimi & nobilissimi, quo decet cultu studioque, maioreta in modum rogo quaequoque. P. P. in Academia Georgia Augusta, Sigglio Ordinis Medici, d. XX, Iul. MDCCCLXIII.



**ULB Halle**  
004 327 837

3



F

SG





1763, 13  
**ORDINIS MEDICI DECANVS**  
**IN ACADEMIA GEORGIA AVGUSTA**  
**D. RUDOLPH. AVGUSTINVS**  
**VOGEL**  
**SOLENNIA INAVGVRALIA**  
**DIGNISSIMI MEDICINAE CANDIDATI**  
**BEYFVS ANSELMI SCHLOSS**  
**GENTE IVDAEI FRANCOFVRTENSIS**  
**DISSERTATIONE PVBLICA**  
**D. XXI IVL. A. R. S. MDCCCLXIII. HABENDA**

**INDICIT**  
**DVBIAQVE SVA DE VSV CIRCVMCISIONIS**  
**MEDICO PRAELOQVITVR**

---

**GOTTINGAE**  
**EX OFFICINA SCHVLTZIANA, curante F. A. ROSENBVSCHE**